

20. Tertia ratio. Ad producendum seu educendum aliquid ex potentia materiae, eo major requiritur virtus activa, quo minor est potentia passiva: ergo udi nulla est potentia, uti in creatione, quae est ex nihilo, infinita opus est potentia activa.

Resp. Dist. *Antecedens*: si productio in eodem permaneat ordine, scilicet, *eductionis*; conc. Si transcendat ad alium ordinem; nego *ant*. Nam proportiones, ut subsistant, debet in eodem ordine institui. Ex. gr. Quo sensibile est perfectior, perfectiori opus est virtute sensitiva. Sed res spiritualis perfectione transcendit rem omnem sensibilem; ergo ad percipiendam rem spiritualem opus est virtute perceptiva infinita. Non hoc consequitur; sed opus esse virtute altioris ordinis, non tamen simpliciter infinita.

21. Quarta ratio. Albertus Magnus arguit, quia inter ens et nihil est infinita distantia: ergo requiritur virtus infinita ad producendum ex nihilo.

Verum hoc argumentum duplici ex capite nutat: primum: quod *nihil nec prope est, nec distans*, cum nullibi sit: negatur ergo suppositum.

Secundo; quid de hoc censes argumentum? Omnia creabilia, puta omnes mundi, Angeli, etc. possibiles distant infinite ab uno creabili, ex. gr. ab atomo, vel musca una. Sed ad omnia creabilia sufficit virtus creativa primae causae; ergo ad unum creabile infimi ordinis, debet quaelibet infimi ordinis causa sufficere. Argumentum hoc, dices, nihil conficit; quia comparatio inter extrema constituitur quae sunt diversi ordinis. Optime. Verum illud Alberti argumentum inter extrema ponitur ficta, non diversi ordinis tantum; ideo longius a quavis invenitur verisimilitudine.

22. Aliud adjicimus argumentum. Actio creativa est actio independens in subsistendo; neque enim pendet a suo termino, nam hic potius ab ea dependet; neque a subjecto aliquo, cum creatio fiat etiam ex nihilo subjecti. Atqui nulla causa creata est independens; in esse enim et conservari dependet ab alio; ergo actio creativa est causae creatae improporcionata et aliena.

Video quid possint nonnulli thomistae objicere: quod, nempe, terminus creationis est *esse*; esse autem ab essentia realiter distinguitur: unde potest actio creativa recipi in essentia, quemadmodum et ipsum recipitur *esse*. Verum, praeterquam quod undequaque vacillat ista opinatio, ideoque nihili faciendae, sequeretur, essentiam non esse terminum actionis creativae ideoque esse increatam, aeternam et divinam, quo pantheismum induceres.

Tandem placet rem hanc verbis Gregorii de Valentia (1)

(1) Disp. 3 de Deo ut Creat. q. 2, p. 4.

absolvere: «Porro aliae quaedam rationes solent adferri, quas videre licet apud D. Thomam (l. 1, *Contra Gent.* c. 21), et apud Durandum, ubi supra; sed illae facilius adhuc quam istae dissolvi possunt, et fere solvuntur a Durando. Quare maxime propter Scripturae et Patrum auctoritatem (ut dixi) mihi persuadeo per nullam potentiam posse creaturae convenire, ut aliquid producat ex nihilo, quamvis rationem hujus repugnantiae a priori nondum compertam habeam.»

23. Obj. Axioma videtur, quod antiqui aliqui dixerunt philosophi pagani, et proclamavit etiam impius Rousseau, nempe, «ex nihilo nihil fit.» Atqui creatio supponit aliquid ex nihilo factum: ergo thesis ista aliquid supponit absurdum.

Resp. Dist. *maj.* seu effatum istud explico: *ex nihilo* id est, ex nulla causa, nihil fit, concedo *majorem*; nihil fit *ex nihilo*, id est, si desit tantum causa materialis; nego. Unde cum illa particula *ex* designet causalitatem aliquam; patet evidenter non posse dari effectum ullum absque causa, quae illud in virtute sua contineat. Si autem desit tantum materia *ex qua* fiat effectum, tunc falsum dicimus effatum istud *absolute* prolatum, nam, in primis, falsum est quoad effectum simplices, qui ex materia aliqua confici nec debent, nec possunt; ex qua enim materia est efficienda spiritualis substantia, vel simplex mentis cogitatio? Deinde falsum est quoque quoad effectum compositos, ex aliquo quidem subjecto seu materia educendos; nam si causa adsit efficiens quae, non tantum effectum in virtute sua contineat, sed subjectum etiam seu materiam, ex qua est educendus; nihil tunc obstat quominus «ex nihilo aliquid fiat.» Jam vero sic rem se habere compertum est: omnia namque ad unum et efficiens ens supremum et necessarium reducuntur, in quo rationem sufficientem habent existendi; non quoad actualitatem tantum, quae pluris, sed quoad potentialitatem etiam, quae minoris habetur, sicut statua ligno praeponitur.

Numquid ita desipies, ut actualitatem et perfectionem universi et singularium ejusdem partium è causa sapientissima et potentissima profluentem fateri cogaris; moleculae autem unius entitatem totum universum perfectione superare suspiceris et causae supremae virtutem? Numquid simplex una cogitatio, qua mirum rerum ordinem et universales apprehendimus ideas, actuatione et perfectione, superare non intelligitur moleculam materiae unam, imo et congeriem molecularum omnium? Cum ergo cogitandi potentiam a rerum acceperis conditore; ab eodem eam qualemcumque suam entitatem potuisse atomos materiales suscipere, nisi insanire velis, fatearis. Hinc, theologorum et philosophorum sapientissimi in ea re intelligenda laborant, quo pacto id evenit, quod causae secun-

etiam consequatur quod sit *temporale* et non aeternum, ex eo quod sit causatum et mutabile.

28. Prob. 1.<sup>o</sup> Duratio non distinguitur realiter ab esse cuius est duratio. Atqui esse creatum est omni ex parte finitum, sicut esse increatum omni ex parte est infinitum: ergo et duratio entis creati est omni ex parte finita, sicut duratio entis increati, seu aeternitas, est undequaque infinita.

Confirm. Ideo nullum ens creatum potest actu aeternum esse *a parte post*, quia est *essentialiter* contingens, indeque semper defectibilis ac limitata ejus duratio, et incapax adaequandi durationem infinitam, seu aeternitatem. Sed quod rei essentiam consequitur, semper cum illa est, sive *a parte ante*, sive *a parte post*; ergo duratio rei creatae est etiam necessario limitata *a parte ante*, quin possit aeternitatem adaequare. Unde, ut quid sentiam aperiam, opinio ista de aeternitate creaturae *a parte ante* (quod Sanctus Thomas de re simili asserit) procedit ex falsa *imaginatione*; ac si aliqua entis finiti duratio categorematice, seu actu, infinite extenderetur a parte ante, adaequans aeternitatem. Non minus quidem absurdum esse censeo, imaginari quod exhauriverit Deus aeternitatem *a parte ante* ita ut nequiverit antea creare, ac quod illam evacuet *a parte post* ut ultra creare nequeat.

29. Prob. 2.<sup>o</sup> Ponamus (hypothetice) conditam creaturam aliquam fuisse ab aeterno. Cum creatura aeterna possibilis foret motus aeternus, ideoque et tempus aeternum esse posset: mutabilitas enim et contingentia essentiam creaturae comitantur, nec tempus distinguitur realiter a motu (1). Atqui repugnat motus et tempus coëxistens cum creatura aeterna; ergo tempus nequit esse aeternum, et repugnat motus aeternus, et consequenter creatura mutabilis aeterna.

Prob. *min.* Tempus est successio, sicut et motus (2), duorum terminorum: «motus est alternatio mobilis in quantum est hic et »ibi; tempus est fluxus ipsius nunc» (3): nempe, transitus a termino a *quo* ad terminum ad *quem*. Atqui terminus ad quem est posterior termino a quo: ergo est de motus et temporis essentia ut habeat aliquid prius, seu praecedens, ideoque ut non sit coëxistens creaturae eaternae.

His sane consonant quae docet Angelicus D. (4): «Nihil fit »nisi secundum quod est. Nihil autem est temporis nisi *nunc*. Unde »non potest fieri nisi secundum aliquod *nunc*. Non quia in ipso pri-

(1) V. D. Thom. P. 1, q. 46, a. 1, ad 7. Suarez, Metaph. Disp. 50.—(2) P. 1, q. 46, a. 3, ad 3.—(3) P. 1, q. 10, a. 4, ad 2.<sup>m</sup>—(4) P. 1, q. 46, a. 3, ad 3.

»mo *nunc* sit tempus, sed quia ab eo incipit tempus.» Tempus ergo sequitur essentialiter aliquid quo est prius.

30. Duplici modo vitare et effugere conantur aliqui AA. hanc rationem, qua creatio expugnatur aeterna.

a) Primo aliqui fatentur tempus, motumque quamlibet, non posse aeternum esse, propter traditam rationem: unde ante quodlibet tempus, etiamsi longissimum, praecessit duratio aeterna. Ita Suarezius cum aliis, quibus consentire videtur sanctus Thomas: «causa efficiens quae agit per motum, de necessitate praecedat tempore suum effectum, quia effectus non est nisi in termino actionis (1).» Unde aperte fatetur, non contendere quod possit successio ulla esse aeterna, ideoque nec tempus seu motus: «Nos intendimus »universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno.»

Verum responsio haec videtur desperatae causae effugium. Non enim intelligitur, quo pacto ejusmodi immutabilitas aeterna rei creatae conciliari valeat cum rei contingentis intrinseca et essentiali mutabilitate, et cum Dei omnipotentia. Deus potest rem in tempore creatam non conservare, sed illico ab esse ad non esse reducere, vel statum illius inmutare: cur idem nequiret in creatione rei ipsius ab aeterno?

31. b) Secundo alii aliter tentarunt effugere. Fatentur de conceptu motus esse ut terminus *a quo* ad terminum *ad quem* praecedat; et tempus non esse nisi per aliquod *nunc* cui aliud *nunc* succedat: at in motu aeterno non posse, ajunt, assignari ullum terminum *a quo*, ante quem non fuerint alii; neque ullum *nunc* temporis cui non praecesserint alia priora *nunc*; et in serie aeterna hominum, per generationem procedentium, non posse ullum assignari hominem, a quo ceteri omnes profluerint; sed ante quemlibet assignatum alios praecessisse. Verum pessimam eos defendere causam, inscitiae istae demonstrare videntur. Igitur si Adamum Deus ab aeterno creasset, eum non posset, assignare! Si duo corpora mobilia condidisset, ea lege ut in oppositos moverentur terminos, nesciret Deus atque assignare non posset, in qua mutua distantia fuerit illa condita, an unius, an decem millium leucarum, vel potius in contactu!

32. Prob. 3.<sup>o</sup> Aliud subjicimus argumentum a Card. Toletio adhibitum, quo impossibilitas cujuslibet successionis aeternae ostenditur.

«Infiniti dies vel anni, vel tempus praeteritum infinitum, vel »quaecumque successio infinita actu completa, non est minus, »quam tempus futurum infinitum; nec futurum est majus quam

(1) P. 1, q. 46, a. 2, ad 1.<sup>m</sup> et 8.<sup>m</sup>

»praeteritum. Sed impossibile est pertransiri et compleri tempus »futurum infinitum. Ergo impossibile fuit compleri tempus infinitum praeteritum. Sane fateor hanc mihi videri demonstrationem» (1).

**Nota.** Possent hic urgeri argumenta, quibus impossibilem esse numerum infinitum actualem ostenditur; posita enim mundi (qualis nunc existit, in motu nempe et tempore) aeternitate, plures darentur actu completi numeri infiniti, dierum, annorum, individuum, generationum, etc.

## ARTICULUS II.

## De Deo, ut causa exemplari et finali.

## THESIS IV.

Deus est omnium entium, quae condidit, causa exemplaris.

33. **Nota.** Causa exemplaris dicitur ea, ad cuius similitudinem agens effectum suum producit. Agens enim per intellectum debet effectum praecognoscere, sicut sapiens architectus habet prius in mente ideam domus cui haec conformatur; proinde idea ipsa, vel prototypus ex quo desumitur, causant effectum sicut causat intellectus, inducendo scilicet formam in effectum, quam intelligendo agens praecognoscit. Inde patet, exemplar reduci ad causam formalem, non physicam, sed intentionalem, non intrinsecam effectui sed extrinsecam et separatam.

34. Prob. 1.<sup>o</sup> Conc. Vaticanum (2) docet: «ad manifestandam perfectionem suam» condidisse Deum omnes creaturas. Sed nisi fuissent ad similitudinem divinae perfectionis creatae, non manifestarent illam: ergo creavit Deus omnia ad similitudinem sui ipsius, adeoque causa est exemplaris.

2.<sup>o</sup> Propheta, de creatione rerum agens ait (3): *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit et ostendit illi? Cum quo iniit consilium et instruxit eum, et erudivit eum scientiam?* Atqui exemplar adjuvat et ducit artificem ad opus perficiendum: ergo non aliud fuit Deo exemplar ad creandum praeter Ipsum. Confirmat Paulus: *Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria* (4). Atqui perfectionis operum non parum ab exemplari di-

(1) In *lib. phys.* I. VIII, c. II, text. XX, q. 1.—(2) *C. Dei Filius*, cap. 1.—(3) *Isai.* XL., 13, 14.—(4) *Rom.* XI, 36.

manat: ergo solus Deus fuit suorum operum exemplar. Et quidem ab exemplari desumit artifex sapientiam qua opus perficit: atqui *sapientia Dei praecedat omnia: unus est altissimus Creator omnipotens. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, et effudit illam super omnia opera sua; nihil ergo Deo, praeter Ipsum, exemplar et idea ad mundum creandum extitit.*

35. 3.<sup>o</sup> Ad sui participationem et imitationem conditum a Deo fuisse mundum, tradit Gregorius Naz. (1). «Quoniam bonitati nequaquam satis erat sua ipsius contemplatione moveri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat... secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri... Postquam autem primas creationis partes praeclare constitutas vidit, alterum mundum materia constantem et aspectabilem cogitavit... Enim vero mens jam et sensus, sic inter se discreta, finibus suis se continebant, opificisque Verbi majestatem in se ipsis ferebant, taciti laudatores insignis opificii, et celebres praecones. Nondum autem utriusque temperatio ulla erat, quae sublimioris sapientiae specimen exhiberet, nec omnes bonitatis divitiae notae atque spectatae erant. Cum igitur artifici Verbo istud ostendere placuisset, animal unum ex utroque, hoc est, ex invisibili ac visibili natura, hominem fabricatur... et velut alterum quemdam mundum, in parvo magnum, in terra collocat: animal hic gubernatum, atque alio demigrans, et, quod mysterii extremum est, per animi ad Deum propensionem divinitatem consequens.» Haec paucis evolvunt, quo pacto se ipsum Deus per creationem effundat et imitetur.

His consentit Augustinus (2): «Non enim Deus extra se quicquam positum intuebatur, ut secundum id constituerit quod constitutebat. Nam hoc opinari sacrilegum est.» Et alibi (3): «Nec auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo.»

36. 4.<sup>o</sup> Ratione ostendit Sanctus Thomas thesim. Deus creavit universum juxta rationes, seu ideas, rerum a sua Sapientia excogitatas. Atqui ideae non sunt realiter aliud a divina essentia, etiam si secundum respectum ad res multiplicentur; ergo Deus est causa exemplaris omnium. *Maj.* prob. In universitate invenitur ordo, in rerum distinctione juxta earum formas consistens. Atqui hunc ordinem constituit Deus juxta rationes a sua sapientia excogitatas: ergo Deus creavit universum juxta rationes a sua sapientia conceptas. *Min.* prob. Artifex producit determinatam formam in materia, propter exemplar ad quod inspicit: sive illud sit exemplar ad quod extra intuetur; sive sit exemplar interius mente con-

(1) *Or.* 38., in *Theoph.*—(2) *L.* 83, *quaest.* q. 46.—(3) *De Civ. Dei*, I. II, c. 21.  
THEOL.—Tom. II.

ceptum. Sed ut crearet universum nihil extra se Deus intuebatur, cum ex nihilo omnia condiderit; ergo hunc ordinem constituit iuxta rationes a sua sapientia excogitatas.

Confirm. Deus, se ipsum comprehendendo, perfectissime cognoscit res omnes possibles. quocumque possint modo fieri (1). Atqui exemplar est, in quo opus perspicitur eo modo quo fieri oportet: ergo omnium operum divinorum est Deus causa exemplaris.

37. Obj. 1.<sup>o</sup> Oportet ut in causa exemplari similitudo contineatur effectus. Atqui, ut dicit propheta (2), *Non est similis tui Domine; magnus es tu... tuum est omne decus*; ergo non potest Deus causa esse exemplaris.

Resp. Dist. *maj.* Effectus similitudo in causa debet esse exemplari, *formaliter* vel *virtualiter*; concedo *maj.*: *formaliter*, subd. secundum cognitionis repraesentationem. seu *intentionaliter*; concedo: secundum ejusdem speciem; nego *majorem*.

Unde *virtualiter* et per *cognitionem* est omnium rerum in Deo similitudo, uti laudata indicant verba: *magnus es tu... tuum est omne decus*: minimam enim tantum divini decoris partem obtinet quaevis creatura.

38. Obj. 2.<sup>o</sup> Intuetur Deusabilia non in essentia sua tantum, sed etiam directe *in se ipsis* (3): Ergo non oportuit Deum ipsum fuisse causam exemplarem. Resp. dist. *ant.* Intueturabilia *in se ipsis*, quasi extra Deum existentia antequam fierent; *nego*; quatenus idealiter ea intellectus divinus immediate refert; concedo *antededens*. Jam vero infinitus divinus intellectus actus est ipse Deus, cujus essentia est ipsa intellectiva actuatio, et possibilitium omnium fundamentum: ab Ente enim Necessario habent possibilitatem et veritatem, sicut et *esse* habere debent si aliquando illud habitura sint. Dum ergo intuetur intellectus divinusabilia *in se ipsis*, videt eorum esse conditionatum, nec actu habere esse nisi in divina essentia eminenter, in se ipso autem formaliter ad modum ideae seu exemplaris.

#### THESIS V.

Deus est omnium entium causa finalis.

39. Nota I. Finis, generatim, respectum indicat ad id quod est prius: cum de causa autem sermo est, ideo *finalis* appellatur, quia in illa terminatur et quiescit efficientiae processus; cum enim finem agens assecutum est, cessat quaevis operatio ipsius: unde hic finis vocatur *finis operantis*. Cum vero de ipso opere sermo est, finis

(1) Disq. IV, 158.—(2) Jer. X, 6, 7.—(3) Disq. IV, 158.

ejus dicitur id in quo opus quiescit ac completur; ideo dicitur *finis operis*. Non tamen causalitas finis est ultima in causando, sed prima potius; nam exercetur per agentia intellectualia quatenus, propter assequendum aliquem finem ea allicientem, agere aggrediuntur: ideo dicitur quod finis est «primum in intentione, ultimum in executione.»

40. II. Dividitur finis in finem *qui* seu *cujus*, et finem *cui*. Quod enim intenditur, ut subjectum aliquod actuet ac perficiat desideratur: sic sanitas est finis curationis pro infirmo intenta. Subjectum igitur dicitur *finis cui*; forma autem seu actus intentus *finis cuius* vocatur, utpote pro *cujus* assecutione (sibi vel alii) agens laborat.

Partitur etiam finis in *objectivum* et *formalem*: ipsa enim assecutio finis, seu unio finis *cui* cum fine *cujus*, dicitur finis *formalis*; finis *cujus* autem, vocatur finis *objectivus*. Id facile in iis finibus, qui in aliqua operatione sistunt, intelligitur; ex. gr. contemplatio veritatis, Dei fruitio: veritas enim, et Deus dicuntur finis *objectivus*; contemplatio autem et fruitio sunt finis *formalis*.

41. Ex his intelligi potest modus efficiendi causarum finalium. Proposito bono aliquo agenti intellectuali, si hoc ab eo alliciatur ita, ut amet illud; incipit tale bonum efficientiam finalem exercere: si deinceps illud assequi prosequatur, et media seligat accommodata ad assecutionem donec in eo quiescat, continuatur causalitas seu efficientia finalis usque ad complementum, quod est fruitio finis.

42. Propositio, quae fide tenenda est, probatur.

1.<sup>o</sup> Conc. Vaticanum (1) definivit: can. 5. «Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit.»

Item docet: «Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur... utramque de nihilo condidit creaturam.»

Quaecumque ergo Deus condidit ad Dei gloriam respiciunt et ordinantur, seu ad manifestandam (eodem redit) perfectionem suam. Ipse est ergo supremus omnium finis.

2.<sup>o</sup> *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus* (2): quae verba obvia sunt. Item, cunctas gentes creavit, *in laudem, et nomen et gloriam suam* (3). *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus* (4).

43. 3.<sup>o</sup> Vide, supra (n. 35), Nazianzenum, qui, divinae bonitatis diffundendae causa, Deum mundum creavisse edocet. Cum

(1) C. Dei Filius, De Deo. — (2) Proverb. XVI, 4. — (3) Deut. XXVI, 19. — (4) Eccli. XLII, 16.

autem in ea bonitatis diffusionem possimus vel ipsam divinam bonitatem vel illam extrinsecus diffusam et creatam perpendere, quae divinae prae se fert similitudinem; non hanc, sed illam fuisse summam causam finalem, notat Gregorius: «Quoniam bonitati nequaquam satis erat, sui ipsius contemplatione moveri.» Item addit: «Primi splendoris (bonitatis divinae) procreati sunt *administri*» (bonitas creata).» Quemadmodum enim ministri propter Dominum non contra; sic bonitas creata propter divinam, ut finem *cui*: non sane ex indigentia, sed congruentia; quia scilicet *beatius est dare*, decebat summam bonitatem liberrime se effundere. Augustinus ait (1): «Nec Auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec causa melior quam ut bonum crearetur a Deo bono...» Hanc tamen causam, id est, ad bona creanda bonitatem Dei; hanc inquam, causam tam justam atque idoneam, quae, diligenter considerata et pie cogitata, omnes controversias quaerentium mundi originem terminat, quidam haeretici non viderunt.»

44. 4.º Nulla creatura potest esse ultima causa finalis; ergo Deus est omnium causa finalis. *Ant.* prob. Quod essentialiter indiget determinari nequit esset primum determinans: Atqui creatura indiget essentialiter determinari, ultima autem causa finalis est primum determinans; ergo nulla creatura potest esse ultima causa finalis. *Major* est evidens ex terminis. *Minor* facillime cuivis patebit. Nam creatura ex semetipsa est nihil, ideoque determinari indiget, ut quidquam sit et valeat; in statu autem objectivo, est aequae indifferens ad esse vel non esse, nec plus allicit Deum ut sit quam ut non sit, donec libere Deus in altero placeat extremo, cum sit actus infinite perfectus in amando: ergo nulla creatura Deum determinare potest, sed ab eodem determinari tantum.

5.º Agens intellectuale et liberum determinatur voluntate, ideoque ratione aliqua boni tamquam fine (2). Atqui ratio boni creati nequit ultimo determinare Dei voluntatem: ergo sola Dei bonitas potest esse omnium entium causa finalis. *Major* ex eo constat, quod libertas est voluntatis proprietas, objectum autem voluntatis est bonum. *Minor* prob. Dei voluntas est, ex semetipsa, infinite perfecta. Sed talis non foret, si ratio aliqua boni creati eam ultimo determinaret: ergo bonum nullum creatum potest Dei voluntatem ultimo determinare. *Min.* patet: determinatio illa ortum haberet a causa finita.

45. 6.º Ut res haec, si fieri potest, clariori in luce ponatur, creaturarum bonitas è conspectu bonitatis divinae quid praestet perpendamus.

(1) *De Civit. Dei*, l. 11, c. 21, 22.—(2) *S. Th.* l. 2, q. 1, a. 1, 2.

a) Bonitas creata Divinae bonitatis est participata similitudo, orta nempe ab hujus virtute tamquam causa efficiendi et exemplari. Atqui pars ex natura sua est propter totum, similitudo autem propter exemplar: ergo nequit Deus velle creaturam nisi cum ordine ad bonitatem divinam et propter eandem repraesentandam. Ad rem Sanctus Thomas:

«Unum et idem est quod agens intendit imprimere, et quod patiens intendit recipere. Sunt autem quaedam quae simul agunt et patiuntur, quae sunt agentia imperfecta: et his convenit quod etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis; sed intendit solum communicare suam perfectionem quae est ejus bonitas. Et unaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem quae est similitudo perfectionis et bonitatis divinae. Sic ergo divina bonitas est finis rerum omnium.» Et Augustinus ait (1): «Inest Deo benignitas summa et sancta et justa; et quidem non ex indigentia, sed ex beneficentia, veniens amor in opera sua.» Et alibi (2): «Iste, qui tibi praestitit omnia: iste, qui fecit ut esses... servat tibi aliquid, quod non det nisi tibi. Quid est autem quod tibi servat, nisi se? Pete aliud si melius inveneris; se tibi servat Deus... Possidet ergo et possidetur et totum propter nos. Ut enim nos ex illo beati simus possidetur a nobis, non ob aliud nisi ut beati simus.» Angelicus iterum (3): «Homo et aliae rationales creaturae consequuntur ultimum finem cognoscendo et amando Deum.»

46. *Nota.* Haec ratio clare ostendit Deum esse finem *qui* seu *cujus* creaturarum rationalium, cum harum voluntas in plenitudine boni, et intellectus in plenitudine veri possint tantum perfectionem suam consequi. In ceteris autem creaturis non elucet tendentia in Deum ut finem *qui*; nam perficitur earum capacitas bonitate aliqua creata et limitata juxta cujusque naturam.

Praeterea neque ostendit ratio ista Deo inesse *causalitatem* finalem. Causalitas enim finis non est directa et immediata in ea quae ad finem ordinantur; sed indirecta et mediante intellectuali agente, qui a fine illectus movet et causat ea quae sunt ad finem: scilicet, finis causat *moraliter* seu intentionaliter; unde ait Angelicus (4): «Bonum, cum habeat rationem appetibilis, importat habitudinem causae finalis.» Atqui quod Deum allicit, quod Deus intendit, juxta rationem istam, est quaedam *similitudo creata* Bonitatis divinae, non autem Bonitas ipsa divina: «Unum et idem est quod agens intendit imprimere, et quod patiens intendit recipere;»

(1) *De Genes. ad litt.* l. 1, c. 5.—(2) *Tract. in ps.* 32.—(3) l. 2, q. 1, a. 8.—(4) *P.* l. 1, q. 5, a. 2, ad 1<sup>m</sup>.

quod sane non est ipsa *Bonitas divina*. Verbo: ejusmodi explicant finem *operis*, potiusquam finem *operantis*.

Item, videtur non esse Deum finem *cui* creaturarum; primum namque agens «intendit tantum communicare suam perfectionem.» Jam vero juxta Nazianzenum (supra n. 43), est etiam Deus finis *cui* creationis; quod et indicat Scriptura (n. 42). Complenda igitur ratio ista.

47. b.) Finis omnium creaturarum ille est, propter quem vult Deus eas creare. Atqui vult illas creare propter Bonitatem suam, seu propter semetipsum: ergo Deus est omnium rerum causa finalis. *Min. prob.* Actus determinatus seu imperatus tendit ad finem actus determinantis seu imperantis. Atqui voluntas creandi determinatur et imperatur a Bonitatis divinae amore; ergo vult Deus creare propter Bonitatem divinam, quam *sibi* velle et amare quis non videat?

*Majorem* supponimus ex tract. de *actibus humanis*, vide etiam S. Thomam (1): «Unde patet quod imperium et actus imperatus sunt unus actus humanus.» *Min. prob.* Voluntatis creandi est actus liber voluntatis divinae, non quasi in potentia, sed in actu purissimo et perfectissimo constitutae; ita ut, absque novo et distincto actu, liberrime se determinet ad objecta. Atqui voluntas divina est in actu purissimo et perfectissimo amandi constituta, propter ipsam Bonitatem divinam necessario amatam; ergo voluntas creandi determinatur et imperatur ab amore Bonitatis divinae.

Hanc quidem rationem elucidant quae S. Thomas de voluntate humana edocet (2). «Manifestum est quod omnes actiones quae procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem sui objecti. Objectum autem voluntatis est finis et bonum. Unde oportet, quod omnes actiones humanae propter finem sint.» Haec transferas ad divinam voluntatem: et loco *potentiae* dicas *actum* purissimum, et pro *objecto* ponas Bonitatem divinam, et inde concludes: «unde oportet quod omnes volitiones divinae propter Bonitatem divinam sint.»

48. Rem proinde notatu dignam perpendas; quo pacto, scilicet, in idem omnino recidant Dei gloria et hominis felicitas; finis operantis et finis operis. Nam cognitio Dei et amor (quae in praesenti vita inchoantur et in futura consummantur) constituunt simul Dei gloriam hominisque beatitudinem. Atqui decernens Deus creaturam condere rationalem et ad perfectionem usque perducere providit; «non enim convenit summae Dei bonitati quod res productas

(1) I. 2, q. 17, a. 4.—(2) I. 2, q. 1, a. 1.

»ad perfectionem non perducatur» (1): proinde voluit etiam Deus illam gloriam suam extrinsecam, in qua completur suae bonitatis communicatio et beneficentiae culmen. In hoc autem, quia divinam decet bonitatem, liberrime divina complacuit voluntas, et propterea fuit divina bonitas ultimus finis *cui* creationis rerum omnium.

Rationalis, item, creatura, Deum noscens et amans, finem suum *qui* attingit; volens autem illum noscere et amare uti suum summum bonum, Dei ipsius ope attingendum, spe erigitur, et ad se ipsam, tamquam finem *cui*, respicit: denique, cum reflectere mens valeat, et perspiciat summe Dei Bonitatem decere quod cognoscatur et super omnia ametur, charitatis affectu Deum propter ipsum, et tamquam finem *cui*, diligit, et voluntati divinae perfectissimo amore adhaerescit.

49. Obj. 1.<sup>o</sup> Eatenus aliquid habet efficientiam tamquam finis, quatenus movet agentem (2). Sed Deus se ipsum non potest movere; est enim perfectus et in actu per essentiam (3): ergo non potest esse causa finalis rerum. Unde improprie tantum potest Deus finis dici: «Ipse ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est »ultimus finis omnium rerum» (ibid.)

Resp. Dist. *maj.* Quatenus movet agentem *actualiter* vel *virtualiter*; concedo; *actualiter* tantum; nego *maj.* Deinde distingo *min.* Deus non potest se ipsum movere actualiter; concedo: virtualiter; nego. Agitur de actu Dei libero. De constitutivo autem actuum liberorum, vide supra (Disq. IV, n. 239, et seq.), ubi, adversus Aureolum et *Connotatores*, illorum in Deo existentiam vindicavimus. Quod si insunt Deo actus liberi, facile intelliges, quo pacto ab actu distinguantur necessario, juxta triplex distinctionis genus alibi expositum (Disq. V, n. 118, et seq.) Sic ergo, etiamsi Deus sit idem cum sua Bonitate infinita, movetur *virtualiter* ab ea, et inde omnia creata ad eandem tamquam finem dirigit: unde verba laudata S. Thomae perpende: «Ipse ad *nihil aliud* ordinatur sicut ad finem.»

Obj. 2.<sup>o</sup> Explicite negat Deo S. Thomas quamlibet causae finalis rationem: ergo nequit dici causa finalis rerum. *Ant. prob.* «Sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed intelligit effectus in causa; ita velle finem non est ei causa volendi ea quae sunt ad finem; sed tamen vult ea quae sunt ad finem, ordinari ad finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non »propter hoc vult hoc (4):» non potest ergo ulla dari causalitas finalis, cum desit fundamentum causandi, scilicet; «finis, qui movet »efficientem:» ut ipse docet sanctus *Doctor* (5).

(1) P. 1, q. 103, a. 1.—(2) P. 1, q. 3, a. 4.—(3) P. 1, q. 6, a. 3.—(4) P. 1, q. 19, a. 5.—(5) P. 1, q. 5, a. 4.